


EMBLEMA XLVI.
FIRMIS HÆRENDUM.



*Immersam ponto firmat gravis Anchora puppim,
Et Bolis æquoreum nautica tentat iter.
Ut Regni fluctus superet benè tuta carina,
Anchora jus sistat: Consiliumque Bolis.*

COMMENTARIUS.

I Tsi affatim de Consilii utilitate, & necessitate dixisse videamur, argumenti gravitas exigit, ut manum ab hac tabula non levemus, prius quàm lineas aliquas de ejusdem qualitatibus deducamus. Non quia velim longam hac de re tractationem inire, quam ab aliis (a) præoccupatam esse cognosco; sed ut melius intelligant Principes, parum se in petendis, exquirendisque consiliis proficere, nisi prius ad hoc munus viros virtute præstantes, sapientes, prudentes, variisque rerum experientis dotatos, sibi que super omnia fidos, & amicos selegerint, & evexerint, qui dubiis in casibus sciant, justum ab iniquo, utile à noxio secernere, consilia rebus, locis, temporibus, ac personis aptare, firmis hære, & tales denique se præstare, ut non solum Patriæ, verum & ipsorum Principum Patres, imò & Patres esse, ac vocari mereantur, ut in multis legibus (b) dicitur, quibus convenit illud Claudiani (c):

*Genitorque vocatur
Principis, & famulum dignatur Regia Patrem.*

Corippi (d):

Conscripti Patres, nostri pars magna Senatus.

2 Et de eisdem Boni Consilii partibus agens, Lusitanus Tullius Hieronymus Ossorius (e), sic inquit: *In primis necesse est, ut Regis Consilii sint maximo ingenio præditi, bonis artibus exculti, longo rerum usu periti, in historiis diligentissimè versati, neque præsentia tantum sagaciter odorantes, sed longè in posterum, quod utile futurum Reipublicæ sit, conjectura providentes.* Istud est quippe sapere, ut Demeas apud Comicum dixit (f):

*Non quod ante pedes modo est videre,
Sed etiam illa, que futura sunt, prospicere.*

3 Justus etiam Lipsius (g) Consiliorum veluti definitionem tradens, eos demum hoc nomine dignos docet: *Qui fidi, rerum, hominumque periti, salutaria suggerunt Principi, sive bello, sive pace.*

4 Et Thomas Balasius (h) de Fidelitate subditorum, erga suos Reges scribens, hanc in primis in Consiliariis requirit: *Qui sunt eorum quasi anima, quasi mens, quasi ratio, quasi voluntas. Unde necessarium est, & affectu in Regem bono esse, & in se ipsi divites rerum rationibus, ac prudentia.*

(a) Joan. Magn. Barth. Philippus, Han. à Collibus, Freder. Ceriola, Kochier, & Dom. Laur. Ramir. de Prado in ejus notis, Gasp. Ensl. Coning. Campanus, & Brantius de Senatu, & alii passim.

(b) L. quisquis, C. ad leg. Jul. Majest. §. filius fam. Instit. quib. mod. jus par. l. 7. tit. 1. part. 4. latè Alex. 4. Genes. cap. 11. ubi Tiraq. & Ego de mun. honor. ex

num. 343.
(c) Claud. in Eutrop. lib. 2.
(d) Corip. lib. 2.
(e) Ossor. de Regis instit. lib. 7.
(f) Terent. in Adolph.
(g) Lips. lib. 3. polit. cap. 4.
(h) Balas. dict. tract. cap. 9. ex pag. 61.

5 Et valde ad rem nostram Noster Alfonsus Rex, qui in quadam ex suis septem Partibus legibus (i) sic scripsit: *E este Consejo ba de tomar con omes, que ayan en si dos cosas. La primera, que sean sus amigos. La segunda, que sean bien entendidos, è de buen seso. Ca si tales non fuesen, poderleia ende venir gran peligro, &c.*

6 Unde apud Tertullianum (k) legimus, inter præcipua Romani Populi vota, illud fuisse, ut suis Principibus Prudens, ac Fidelis Senatus contingeret: *Precaur (inquit) Imperatoribus vitam prolixam, exercitus fortes, Senatum fidelem, hæc Cæsaris vita sunt; quia re vera, ut scitissimum, ita & certissimum est illud Lampridii (l) Meliorem esse Rempublicam, & prope tutiorem, in qua Princeps malus est, ea, in qua sunt Amici Principis mali. Siquidem unus malus potest à pluribus corrigi; multi autem mali non possunt ab uno, quamvis bono, ulla ratione superari; prout & Homulus Trajano respondit, cum ab eo audiisset, Domitianum pessimum fuisse Imperatorem, amicos tamen & Consiliarios optimos habuisse.*

7 Quòd in causa fuit, ut Diocletianus, Imperio relicto, ad privatam vitam secesserit, & in ea, ut Flavius Vopiscus (m) memorat, dicere solet, nihil difficilius, quàm benè imperare: *Colligunt quippè se quatuor, vel quinque, atque unum concilium ad decipiendum Imperatorem capiunt. Dicunt quod probandum sit, Imperator qui domi clausus est, vera non novit: cogitur hoc tantum facere, quòd illi loquuntur. Facit Judices, quos fieri non oportet, amovet à Republica, quos debet retinere. Quid multa? Bonus, Cautus, Optimus venditur Imperator.*

8 Et ut ex adverso, Sigismundus Imperator (Ænea Sylvio (n) referente) Beatos esse in terris diceret Reges, si exclusis superbis, viros mansuetudinis, & misericordiæ cultores, in Curia Assessores, & Consiliarios haberent, quod & prius Vespasianus apud Philostratum (o) exoptavit, cum scribat: *A Diis ipsum exoptasse, ut & sapientum Imperator esset, & vicissim sapientibus pareret.*

9 Quales quondam Romanos Senatores fuisse, satis, post Sallustium (p), ostendit D. Augustinus (q), qui Catonem ita loquentem inducit: *Nolite existimare Majores nostros armis Rempublicam ex parva magnam fecisse: sed alta fuere, que illos magnos fecerunt, que nobis nulla sunt. Domi industria, foris justum Imperium, animus in consulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius.*

10 Et constare poterit, vel ex artissima formula juramenti, quod ipsi iidem Senatores emittebant, dum Curiam intrantes, caritate privata abjecta, publicam induebant, & ut latius Camerarius (r) refert, Deos hominesque obtestabantur, se neque gratiæ, neque odio, neque muneribus judicium, consultumve suum servire passuros, neque privatis commodis, aut affectibus sententiam suam addicturos: sed tantum communi utilitati patriæ, atque Reipublicæ pro viribus prospecturos, non aliter, atque is fecit, qui usquam Senator laudatissimus extitit.

11 Quòd spectat, Beyerlinchio (s) testante atque recensente, vetus ille Rythmus, & comprehensa in illo monitio.

*O Consultores, rectos assumite mores;
Publica privatis præponite commoda gratis,
Ne damnet vestras Animas Ævina Potestas.*

12 Neque aliud nos commoneere voluit Sallustius (t), dum se, tota vita, legendo, audiendo, atque experiendo, comperisse testatur: *Omnia Regna, Civitates, Nationes, usque eò prosperum Imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt. Ubicunque gratia, timor, voluptas ea corruperet, post paulò imminute opes, deinde ademptum Imperium, postremò servitus imposita est.*

13 Quòd ipsum Monitum satis etiam comprobatur Tullius (u), sic inquit: *Qui cuncta agunt Consilio, reguntur sapientia, & quicquid ordine, & regimine caret, letos non habet exitus.* Verè enim verum est, tam toga, quàm bello, plura prudentia & consilio, quàm armis, & viribus feliciter contigisse, ut Agathias (x) scriptum reliquit, post Taoitum (y) qui sic habet: *Pleraque in summa fortuna, auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geri.* Quòd ortum ab illo Euripidis habuit:

Mens una sapiens, plurium vincit manus.

14 Et certioribus testimoniis Sacre Scripturæ (z) docetur, in qua legimus: *Melior est Sapient-*

Kk 2

(i) L. 5. tit. 9. part. 2.

(k) Tertul. in Apolog. cap. 30.

(l) Lamprid. in Alexand. Sever. Fulgos. lib. 7. cap. 2. idem dictum tribuit Mar. Max. Cuspinian. in Consulib. vide Gasp. Ensl. in Nucleo hist. polit. pag. 247.

(m) Vopisc. in Aureliano, Erasm. lib. 6. Apoph.

(n) Æneas Sylv. de gestis Sigism. Imp.

(o) Philostr. lib.

(p) Salust. in Catilin.

(q) Div. August. lib. 5. de civit. Dei, cap. 12.

(r) Camer. 1. part. subcit. cap. 32.

(s) Beyerlich. in Theat. verb. Consilium, pag. 403.

(t) Sallust. in orat. 2. ad Cæsarem de Reg. ordin.

(u) Tull. 2. offici.

(x) Agath. lib. 2. hist.

(y) Tacit. 2. Ann. cap. 6.

(z) Sap. 6. Eccles. 9. 18.

plentia, quam vires. Melior est Sapientia, quam arma bellica; quibus insistent Alciatus (a), idem suo Emblemate designavit, sub figura Bellerophonis chimæram superantis, & his carminibus:

Bellerophon ut fortis eques superare chimæram,
Et Lycii potuit sternere monstra soli.
Sic tu Pegasæis velleis petis athera pennis,
Consilioque animi, monstra superba domas.

15 Possemque in ejusdem doctrinæ comprobationem, plura omnium seculorum exempla referre, nisi jam essent ab aliis Auctoribus (b) luculenter congesta, & novissimè à Nostro D. Didaco de Saavedra (c), qui ad hoc idem magis ac magis demonstrandum, inter sua Symbola, duo excussit. Quorum in uno ingeniosam ad levandos lapides rotam, Vulcani Lemnii ferrariis fabricis contraponit: in altero, navim depingit, validis duabus ad puppim ac proram anchoris religatam, sic antiquis significatum inquirens, in Consiliis sumendis, rei gerendæ initium, sive ingressum expendere non sufficere, nisi & finis etiam, progressus, & egressus, sive exitus inspicatur.

16 Quod sumpsit ex Cicerone (d), qui ad suum Tyronem scribens, Græcorum paremiam, sive proverbium citat, de Prora, & puppi, quod summam consilii nostri (inquit) significamus, propterea quod à prora & puppi, tamquam à capite & calce, pendeat tota navis; licet Erasmus (meo judicio rectius) hoc Adagio (e), cujuslibet rei integrum corpus, sive integram inspectionem, & considerationem ejus in quo totius negotii cardo vertitur, significari tradat, & pluribus aliis locis relatis evincat.

17 Nos autem insinuare volentes, in eisdem Consiliis, firmis solidisque rationibus innitendum, nihilque absque prævia, gravi, & matura rei vel causæ, de qua consultitur, inquisitione, cognitione, exactaque circumstantiarum omnium pensatione, deliberandum, præsens Emblemata Nostri Regibus ob oculos ponimus. Quo, ut apparet, navis depingitur, quam dum providi expertique Naucleri, adversus procellosi maris fluctus salvam ac securam reddere gestiunt, prius ipsius maris fundum, sive altitudinem, semel & iterum, jacta bolide, explorant, & ubi firmum locum reperiunt, anchoras jaciunt. Quod ab illis Orientalibus Dymnosophistis, suo tempore omnium mortalium prudentissimis judicatis mutuavimus, quorum Legati, ut Philostratus (f) memorat, loco Mercurialis Caducei, anguibus complicati, quo alii (g) communiter pro insigni sui muneris uti solebant, unde & Caduceatores dici consueverunt, anchoram auream manu gerebant, propterea quod omnia coërcet, sive prius prudenter tentat, firmisque & securis inhæret, quod maximè Legatis, in negotiis sibi injunctis, expediendis, incumbit.

18 Unde confirmari, vel potius novo sensu illustrari potest illud Alciati (h), qui in Regibus, ejusdem Anchoræ insigne, officiumque desiderat, eidem Delphinium involutum depingens, & sic inquirens:

Titanii quoties conturbant æquora fratres,
Tum miseris nautas anchora jacta jucat.
Hanc pius erga homines Delphin complectitur, imis
Tutius ut possit figere illa vadis.
Quam decet hæc memores gestare insignia Reges,
Anchora quod nautis, se populo esse suo.

Et adhuc magis aptè ipsorum Regum Consiliariis attribui, de quibus, ex Platone, & Græcorum sententiis (i), in Proverbium abiit, Res Sacra Consultor. Consilium res Sacra. Quod Suidas apud Erasmum (k), dictum, dicendumque indicat, ubi deliberatur de rebus periculosis, ut simile videatur illi: Sacram Anchoram facere, seu solvere, quo significare solemus, ad extrema præsidia confugere, translatum à nautis, qui validissimam anchoram, Sacram vocant, eamque tum demum mittunt, cum extremo discrimine se laborare præsentiant.

19 Et planè cum omnium hominum vita non solum navigatio, verum & naufragium sit, in quo, ut Boetius (l) ait, circumstantibus agitatur procellis, & verum esse illud Senecæ (m)

(a) Alciat. Embl. 14.

(b) Beyerlinch. in Theat. verb. Consilium, pag. 403.

(c) Saaved. Empres. 84. ex pag. 632. & Empres. 63.

(d) Cicer. lib. ult. fam. epist.

(e) Erasmus. in Adag. Prora & puppis, pag. 9.

(f) Philostrat. in vit. Apoll. lib. 3. cap. 3. pag. 117.

(g) Paschal. de leg. lib. 1. cap. 5. Albert. Gentis lib.

(h) cap. 18. Marsalaer. lib. 1. dissert. 25. Joann. Horosc.

Covarr. in Embl. lib. 1. cap. 12. in princ. Div. Chrisost. à Benavente in suis advers. cap. 3. pag. 36.

(i) Alciat. Embl. 143.

(j) Plat. in Theag. sive de Sapient. & in epist. ad Perdicam.

(k) Erasmus. dict. Adagiis, pag. 128. & etiam in hoc Adag. pag. 229.

(l) Boet. de Consol. lib. 1. pros. 3. vide Filesac. 2. select. tit. 1. cap. 2.

(m) Senecæ. de Consol. ad Polyb. cap. 28.

experimur In hoc profundum inquietumque projecti mare, alteris estibus reciprocum, & modò allevans nos subitis incrementis, modò majoribus damnis desens, assidueque jactans, nunquam stabili consistimus loco, pendemus, & fluctuamur, & alter in alterum alidimur, & aliquando naufragium facimus, sæpè timemus; si hac, de qua loquimur sacra recti Consilii anchora destituamur, nihil erit quod nos, tot subjectos periculis, defendere possit.

20 Quapropter benè monuit Sallustius (n) Prius quam quid incipiamus consulto, & ubi mature consuluerimus, factò opus esse. Et Mimographus: Delibandum esse diu, quod semel statuendum sit. Quod perinde est ac si dicerent, non nisi jacta bolide, & benè pensatis omnibus, in rebus arduis quicquam resolvi, & executioni mandari debet. Quia ut Tacitus docet (n): Scelerata impetu, bona consilia mora valescunt. Et secundum Livium (o): Omnia non properanti clara certa que sunt, festinatio improvida est, & cæca; nullisque in seculis præcipitantes egit, & pluribus damnis, atque ærumnis affectit.

21 In quorum exemplis referendis multi sunt, Cameraus (p), Beyerlinchius (q) & alii, quibus valdè consonat Claudianus (r), dum perfectum Ducem describens, sic inquit:

Ductorque placebat,
Non qui præcipiti traheret simul omni casu,
Sed qui maturo, vel læta, vel asper rerum
Consilio momenta regens, nec tristibi impar,
Nec pro successu tumidus, spaciunq; morandi,
Vincendique modum, mutatis nosset hœnis.

Et satis notum est Sophoclis (s) illud:

Periculosa est præpopera prudentia.

Et juxta Publii Mimum (t):

Deliberare utilia moram tullissimam ess.

22 Quod occasionem fecit Adagiis, quibus Lentè festinandum, & nimium properantes seriùs absolvere, admonemur (u). In quorum expositione Erasmus plura congestit, & uberrimum copiosæ orationis quasi fluvium emissit. Inter quæ illud de cunctatione Quinti Fabii Maximi, quæ in re bellica plus multo Romanis profuit, quam præceptum Minutii temeritas. Unde præclare Enius apud M. Tullium (x) dicere potuit:

Unus homo nobis cunctando restitit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.

23 Atque, ut à nostra Anchora non abscedamus, hoc iem Ægyptii per illam, in medio circuli à Delphino obtorto corpore circumplexam, significat (y). Anchora quippè, quoniam navim remoratur, alligat, & sistit, tarditatem indicabat. Delphinus, quod hoc nullum animal celerius, aut impetu perniciose, velocitatem exprimebat, quibus scitè connexis, colligebatur, semper lentè festinandum esse, sed tamen ita, (prout & Nos in nostris Consiliariis requirimus) ut prudentissimum Taciti (z) monitum observent, & interdum siant: Nullum cunctationi locum esse in eo consilio, quod non potest laudari nisi peractum, nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies, quam temeritas.

24 Rerum quippè & temporum casus efficiunt, ut quæminum festinat, incitato gradu ad exitum tendat: qui diutius moratur, aut commodum suum, aut salutem interimit, ut benè concludit Nicolaus Bernegerus (a), post hujus quæstionis disputationem, Probanda ne sit in consultantando cunctatio? In celeritate etenim temeritatem, in mori consilii inopiam cavere debemus. Quia ut rectè etiam quidam nuperus Auctor (b) animadvertit: Qui moratur cum res poscit, jam festinat: qui festinat cum oportet, satis diu moratus est. Qui vratur ubi festinandum erat, currentem fortunam tarditate sua sistit, qui festinat, ubi morandè est, in malo suo commoratur. Unde in utroque temperamentum, & prudentiam sequi debemus. Temperamentum, ne in uno peccemus, dum alterum declinamus: Prudentiam, ut quid eorum factò opus, videamus.

Et

(m) Sallust. in Catil.

(n) Tacit. lib. 1. Annal. cap. 33.

(o) Livius. decad. 3. lib. 2.

(p) Cameraus. 3. tom. cap. 23. & 1. tom. cap. 22. ex

pag. 240.

(q) Beyerlinch. in Theat. verb. Consilium, pag. 420. &

lit. I. pag. 374. & lit. N. pag. 20.

(r) Claudian. de bell. Gildon.

(s) Soph. in Oed. Tyr.

(t) Erasm. in his Adag. pag. 239. & 240.

(u) Vide up. Embl. 42.

(x) Tullius. Caton. major.

(y) Plutch. de Isid. & Osirid. Suidas, & alii apud

Erasm. in Adag. Festina lentè, pag. 241.

(z) Tacit. hist. prosequitur Saavedra Empres. 80.

ex pag. 397.

(a) Berrug. ad Tacit. de morib. German. quest. 54.

(b) Zuens Boxhord. Embl. 14. pag. 104.

25 Et hoc ipsum est, qui prius Seneca (c) monuit, sic iniquus: *Consilia rebus aptantur, res nostrae feruntur, imò voluntur ergo consilium sub die nasci debet; & hoc quoque tardum est nimis, sub manu quod ajunt nascatur.* Idemque Demosthenes (d) docuit, tradens: *Tempestive, si res non sit subita, deliberandum, & sicut Imperatoris est praere exercitui: sic bene consulti viri, ipsis negotiis, & prout illa exegerint festinare, vel maturare.*

26 Qua ratione M. Curii Dentii festinationem, Praeveniendi periculi causa, excusavit Valerius Maximus (e) & in hoc omnes convenire eruditè Alciatus insinuavit, excusso Emblemate, à supra dicto Anchoræ, & Delphic non valdè remoto, quo Remora piscis sagittæ complicatus depingitur, cum Epigraphè, *Maturandum, & his, quæ sequuntur carminibus:*

*Maturare ubent properè, & cunctarier omnes,
Ne nimium præceps, neu mora longa nimis.
Hoc tibi eclaret connexum Echeneide telum:
Hæc erda est, volitant spicula missa manu.*

Cui similis Joachimus Camerarius, sub Mori arboris symbolo, quæ nimis tardè suos fructus emittere, & cunctando proficere solet hoc carmen apposuit:

*Festinare vocet, nocet & cunctatio sæpè.
Temporæ queque suo qui facit, ille sapit.*

27 Planè ubi res, quæ in consultationem deducitur, valdè non urget, nemo verius illud Taciti (f) esse negabit: *Duces, providendo, consultando, cunctatione sæpius, quàm temeritate prodesset.* Quia juxta Herodoti (g) sententiam: *Festinare quodvis negotium gignit errores, unde maxima detrimenta exoriri solent; at in cunctando, bona insunt, quæ si non statim talia videantur, in tempore bona quis esse reperiat.*

28 Unde Democritus Ætolorum Prætor apud Livium (h) dixit: *Rem magni discriminis consiliis, nullam esse tam inimicam, quàm celeritatem: celerem enim penitentiam, sed eandem seram, & inutilem sequi: cum præcipitata raptim consilia, neque revocari, neque in integrum restitui possint.*

29 Et quidam, utinam ita Cæcilius ac bonus Poeta (i), præcipitantiam satis exactè hoc carmine delineavit.

*Dicite vos, quoniam me non videt illa, nec audit,
Quæ pæpe stat pronis semi caduca rotis?
Nomine videt titulum? Lege, Præcipitantia fertur;
Moria nam Genitrix Impete patre tulit.
Cur habet hæductum ceco velamine vultum?
Quidque quod adversas obstruit auriculas?
Non circumspecta est, nec provida, surdaque nullum
Consilium admittit, det licet ipse Solon.
Quis tu, quæque tibi socia, & que denique causa es
Pone quod adstrictos vos Dea fione tenet?
Error Ego adstanti nomen Metææ sorori,
Nos secum Comites, quo ruit illa, trahit.*

30 Et hac de causa semper nihî damnosæ, & reformatione dignæ visæ fuerunt nostri temporis consultationes, ad quas solensæpè Senatores vocari, absque prævia rerum, de quibus agendum sit cognitione, & statim de his sententiis rogari, & ex tempore ad deliberandum compelli. Hos enim nihil est aliud, quàm Consiliorum naturam temerare, quæ juxta Antiquorum mortuum (k) tarditatem exposcunt, ipsosque suffragantes, licet alioqui prudentissimi, & peritissimi sint, in erroris præcipitium inducere, & quod sæpè accipit, in ejusdem perseverantiam, cum multi eo sint in ingenio, ut quod semel etiam imparanti, protulerint, postmodum (cognito licet errore) defendere velint. Quod qui graviter & prudenter præsensit, & admonuit Thomas Morus (l) ipsius hic verba, sic se libentia, inserere placet: *Non debent consultationes proponi, & statim resolvi; sed in sequentem hñatum differendæ sunt; ne quis, dum quod in buccam venerit temerè effuderit, ea potius excogit postea, quibus decreto tueatur sua, quàm quæ è Republicæ usu sint, malitque salutis publicæ, quàm opinionis de se jacturam facere, perverso quidem ac præ-*

(c) Senec. epist. 72.
(d) Demosth. Phil. 1.
(e) Valer. Max. lib. 6. cap. 3. §. 4.
(f) Tac. lib. 3. hist.
(g) Herodot. lib. 7.

(h) Livius lib.
(i) Euricius Cordas. in Poem. pag. 220.
(k) Arist. 6. Ethic. cap. 9. Plato in Protag. in principio.
(l) Thom. Mor. in Repub. Anglic. lib. 2. tit. de Magistratib.

postero pudore, ne initio parum prospexisse videatur, cui prospiciendum initio fuit, ut consulto potius, quàm citò loqueretur.

31 Idemque ipsum, non minori prudentia, de consultationibus sacri Consistorii Cardinalium agens, tradit Eminentissimus Paleotus (n) (nisi ubi ea emergunt negotia, quæ ullam vix moram patiantur, atque de illis statim constitui necesse sit) pluribus ad hoc probandum locis, & Pontificis civilibusque Decretis, & constitutionibus ponderatis. Inter quæ illud Calixti Papæ apud Gratianum (o), qui dicere solebat: *Nos tempore indigemus, ut aliquid maturè agamus; non præcipitemus consilia, & opera nostra, neque eorum ordinem corrumpamus.* Unde dici solet (p) gladiatorum esse, non Senatorum, capere in arena consilium.

32 Et potuit etiam adducere memorabile exemplum Imperatoris Alexandri Severi, de quo Lampridius (q) recenset, nullam unquam sacravisse constitutionem, nisi adhibitis prius in consilium viginti Juris-Peritis, aliisque viris disertissimis, non minus quinquaginta: *Dato etiam spatio ad disquirendum cogitandumque, prius quàm dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus.* In hoc enim, ut & in aliis, Naturam imitari debemus, quæ juxta illud Lucretii (r):

*Nil edere magnum
Spectandumque solet, longo nisi tempore adultum.*

33 Et hercle, qui vel hac vel aliis de causis, in erroneis suffragiis persistunt, illud Senecæ (s) ignorare, contemnere videntur, dicentis: *Non esse levitatem à cognito, & damnato errore discedere, nec se mutare sapientem, sed aptare, dum ut portum veritatis, in quem tendit, assequi possit, neglecto proprio, sanius consilium amplectitur; vel dum fatetur se nescire, quod nescit, & sine mendacio candorem ostendit.*

34 Porro, ut jam ad alia transeamus, qui sacra ista recti, sanique consilii Anchora, de qua loquimur, se, vel alios, opportunè juvare, & in tuto ponere voluerit, privatis utilitatibus, affectibusque post positus, quæ ut rectè Livius (t) docuit, plurimum semper offecere, officientque publicis consiliis, quia ut non minus etiam rectè Tacitus (u) dixit: *Pessimum veri affectus, & judicii venenum, sua cuique, utilitas.* Antequam labyrinthum, de quo extricando deliberant, ingrediantur, exitum inspicere debent, & media, quæ adoptatum finem conducant, ac perducant prudenter disponere, is enim demum, qui ad hunc adtendit, benè cæpit, benè progressus est, ut scitè quidam (x) nuper, depicto labyrinthi Emblemate, monuit, & scitius longè Cornelius Tacitus (y), cujus hac in parte doctrinam, omnes qui consuluntur, memoriæ quidem mandare deberent, eaque sic habet: *Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur Republicæ utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit. Simul ipse, qui suadet, considerandus est, adjiciat ne consilio periculum suum: & si fortuna captis affuerit, cui summum decus acquiratur.* Cui loco alia similia addidit Joannes à Chokier (z), sed omissit insignem illum Innocentii III. Pontificis (a) Maximi, qui in omni negotio tria præcipuè adtendenda duxit, & dixit: *Quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, & quid expediat secundum utilitatem.*

35 Quod Monitum, pro Bolide suorum Consiliorum Christianis Principibus haberi debere censeo, cum juxta aliud Ciceronis (b) *Fundamentum perpetuæ commendationis justitia sit, sine qua nihil potest esse laudabile.* Et in eo satis illud D. Cypriani (c) Martyris exprimitur, qui *Legem divinam omnium Consiliorum gubernaculum esse docuit.* A qua quidquid, vel in minimo deviat, nec licitum, nec honestum, neque expediens unquam esse poterit, & tandem eum sortietur exitum, quem Livius (licet Ethnicus) consiliis callidis comminatur (d): *Consilia callida, & audacia prima specie læta sunt, tractatu dura, eventu tristia.* Quod sentiens D. Augustinus (e) *Non esse Christianum censendum (inquit) qui non salva Religione & pietate Republicam administrant.* Universè enim, vel Plinio (f) Juniore docente, verum est: *Nihil ritè, nihilque providenter homines, sine Deorum immortalium ope, auxilio, honore, auspiciari.*

36 Quod latius Justus Lipsius (g) illustrat, & ante eum Albanus Spinatus (h), nihil boni illis consiliis inesse posse, quæ divinis præceptis non innuntur, his, inter alia, carminibus probans:

Et

(n) Paleot. de Sacri Consist. consult. part. 4. quest. 5. per totam.
(o) Grat. in cap. ponderet, 50. dist.
(p) Eras. in Adag. pag. 638.
(q) Lamprid. in Alex. Severo.
(r) Lucret. de nat. rer.
(s) Senec. apud Canonher. 1. tom. Aphorism. pagin. 287. & apud Lips. 3. Pol. cap. 5.
(t) Livius lib. 22.
(u) Tacit. 1. histor.
(x) Buxhorn. Emb. 41.

(y) Tacit. lib. 2. histor. Saaved. pag. 480.
(z) Chokier in Thesaur. politic. lib. 4. capit. 5. numer. 6.
(a) Innocent. Pontific. in capit. magna de voto.
(b) Cic. 3. offic.
(c) D. Cypri. epist.
(d) Livius lib. 35.
(e) D. Aug. epist. 124.
(f) Plinius in Panegiric. ad Trajan. in princip.
(g) Lips. 3. polit. cap. 5.
(h) Spinatus. in Politic. lib. 1. cap. 1.

Quid enim tenere hominum, aut verum queant,
 Qui non tenent summæ caput
 Veri bonique fomitem, ac fontem Deum,
 Quem nemo nisi in Christo videt.

37 Et agnovisse Romani, & alia Nationes videntur, quibus, ut Alexander ab Alexandro (i), & alii (k) literis produnt, in more fuit, numquam Senatam cogere, nec publicis consultationibus operam dare, quin prius sacra præmitterent, & Diis ex more litarent.

38 Idemque, piè pariter ac prudenter, admonuisse videntur Joannes Boterus (l), dum dixit: *Quod debent Principes cavere, & jubere, ut nihil prius decidatur in Consilio Status, quin prius visum ac discussum fuerit in alio Consilio Conscientiæ (m).* Quod, quàm enixè Religiosissimus Rex Noster curare, & optare videatur, satis ostendunt verba Decreti, cuius in Epistola Dedicatoria meminimus, quodque veluti scopum nostrarum Commentationum præfiximus, dum à suis Consiliariis exigit & requirit: *Que tengan gran cuidado y vigilancia en que se guarde firmemente la santa Ley de Dios en todos sus Consejos, sin que por ningun caso de la tierra se dispense en la mas minima parte; pues mas quiero perder todos mis Reinos juntos guardandola, que recobrar quanto se ha perdido, si ha de ser con riesgo de pisar la raya de los divinos preceptos.*

39 Et hoc quidem, ubi in sumendis Consiliis præcedit, satis suo muneri Principes fecisse censendi sunt, & sub sacris firmisque Anchoris suam Navem religasse, tametsi sæpè (ut est in (n) Adagio) illarum jactum Deus antevertere, vel prævertere soleat, & adhuc deservientis fortunæ æstu rumpi contingat, & de salute periclitari. Quæ Plauto (o) testante: *Centum doctum hominum consilia sola hæc evincit Dea.* Et secundum Paterculum (p): *Profectò inevitabilis fatorum vis consilia corrumpit, efficitque (quod miserrimum est) ut quod accidit, id etiam meritò accidisse videatur, & casus in culpam transeat.* Quod prius etiam dixit Sallustius (q) his verbis: *Sæpè prava magis, quàm bona consilia prosperè eveniunt, quia plerasque res fortuna ex libidine sua agitat.* Et Petronius (r): *Non multum oportet consilio credere, quia suam habet fortuna rationem.*

40 Et idem vulgò olim Atheniensibus tributum fuisse, satis indicat hi Aristophanis (s) versus:

Est sermo quidam ductus à majoribus,
 Fatua licèt statuamus, & recordia,
 In melius attamen omnia nobis cedere.

Quorum meminit Erasmus (t) explicans Adagium quod inde sumptum videntur: *Ateniensium inconsulta temeritas; & Jacobus Maria Campanacius (u), lepidam historiam recensens, de quodam Veneto, cum altero Genuense, de suarum Rerum publicarum amplificatione certante.*

41 Præter quàm quòd his non obstantibus, certius est, & frequentius, recta sanaque consilia à Deo non tantum probari, verum & juvari solere. Hæcque in pretio, & in laude esse, si iustis suis iudiciis, vel aliis de causis, optato, prudenterque præviso ac proviso fine, frustrentur: scitè enim dixit Apulejus (x): *Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est.* Et apud Cornelium Tacitum (y): *Suetonio Paulino cauta potius cum ratione consilia, quàm prospera ex casu placebant; satis cito incipere victoriam ratus, ubi provissum fuerit, ne vinceretur.*

42 Atque hoc nimirum est, quod Ovidius (z), vel pueris notus, docuit, dum edixit:

Exitus acta probat, careat successibus opto,
 Quisquis ab eventu facta probanda putat.

Et inter ærumnas mortalium meritò connumeravit Boëtius (a), sic inquiens: *Hic etiam nostris malis cumulus accedit, quod æstimatio plurimorum, non rerum merita, sed fortune spectat eventum; eaque tantum iudicat esse provissa, quæ felicitas commendavit. Quò fit, ut existimatio bona*

(i) Alex. 4. Genes. cap. 11.
 (k) Sueton. in Augustin. Stob. term. 42.
 (l) Boterus de Ratione Status libr. 2. capit. pen.
 (m) Vide omnino Guirbam cons. 1. per totum.
 (n) Erasmus in Adag. Anchoræ jactum Deus prævertit, pagin. 271. & in Adag. Anchora rupta, pagin. 380.
 (o) Plaut. in Pseud.
 (p) Vellei. Paterc. lib. 2.
 (q) Sallust. in orot. ad Cesar.
 (r) Petron. in satyr.
 (s) Aristoph. in concionatricib.

(t) Erasmus in hoc Adag. pag. 265. Alexand. 4. Genes. cap. 11.
 (u) Campanac. in histor. mor. Genes. pag. 8.
 (x) Apulej. 4. Florind. à quo habuit Cominæus lib. 5. histor.
 (y) Tacit. lib. 2. histor. cap. 25.
 (z) Ovid. in epist. Philidi, latè Ensl. in Nucleo pagin. 232. & sequent. Tiraq. quem vide de pan. temp. causa 52. ex numer. 9. Barbatiam, qui plura adducit, cons. 46.
 (a) Boet. de cons. lib. 1. prosp. 4.

na, prima omnium deserat infelices. Unde & Tacitus (b) dixit: *Vulgi morem esse fortuita ad culpam trahere.* Et Heliodorus (c): *Solent enim sæpè homines ad rationem eorum quæ accidunt, accommodare animum.*

43 Quod non minus iniquum, quam usu receptum Plinius Junior (d) sic retulit: *Est omnino iniquum, sed usu receptum, quòd honesta consilia, vel turpia, prout malè, aut prosperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur.* Inde plerumque eadem facta, modo diligentia, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen recipiunt. Quò & tendit illud Euripidis (e): *Ei res secundæ sunt, eundem putamus sapere.* Pindari (f): *Voti compotes, & quibus arridet fortuna sapere videntur omnium iudicio.* Ciceronis (g): *Hoc plerumque facimus, ut Consiliis eventum ponderemus: & cui benè quòd processerit, multum illum providisse; cui secus, nihil sensisse dicamus.*

44 Cum tamen hoc (ut jam dixi) absurdum sit, prout & Sidonius Apollinaris (h) agnovit, sic inquiens: *Siquidem prudentibus, cordiculus insitum est, vitare fortuita: sicut tamen absurdum est, si captis audacibus adversetur eventus, consurgere in querimonia, & inconsultarum dispositionum culpabilis exitus, ad infamanda casuum incerta convertere.* Et etiam valde aptè Illustrissimus, & multis nominibus laudandus D. D. Joannes de Palafox & Mendoza (i), nunc pro meritis Tlaxcalensis Episcopus, his verbis, relatu dignissimis: *Porque la piedra donde ha de tocar la Censura Política los acaecimientos publicos, no han de ser los sucesos, sino los acuerdos. T es Maxima llana, y muy natural, que á prudentes medios corresponden ordinariamente muy felices fines; y que si los primeros fueron bien gobernados, disculpa tienen, como quiera que succedan los segundos, quæ consonat cum aliis similibus Herodoto (k).*

45 Et ad hæc eadem respiciens Seneca (l), ea, quæ solet, prudentia scriptum reliquit: *Laus enim Imperatori, etiam vitio, & Duci redditur, si & prudentia, & industria, & fortitudo muneribus suis functa est.*

46 Et Petrus Andreas Canonherius (m) ideat ad Medicum applicat, qui licèt minimè morbum depulerit, non est imperitus censendus, si modo nihil prætermiserit, quo morbum expelleret, & secundum artem omnia fecerit. Quod prius Quintilianus (n), ab eo non visus, aut certè non citatus, his verbis scripserat: *Nam & Medicus sanitatem ægri petit, si tamen, aut valetudinis vi, aut intemperantia ægri, aliòve quo casu, summa non contigit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinæ fine non excidit.*

47 Maneat ergo illud Ciceronis (o) in corde: *In recta sententia, ne vitia quidem causa vituperanda est, nunquamque mentem ex exitu æstimari debere, quia secundum Senecam Patrem (p): Omnia honesta opera voluntas incubat, occasio perficit. Sæpè honorata virtus est, etiam ubi eam fefellit exitus. Scelera quoque, quamvis citra exitum subsederunt, puniuntur: nec infelix virtus amittit gloriæ titulum: nec gloriæ virtutis interceptit fortuita felicitas.*

48 Quem locum egregiè Doctissimus Cujacius (q), novissimusque Joan. Brantius (r) illustrant, & premere videtur Apulejus (s), quatenus postquam dixit, bonos conatus in laude esse, quamvis eis non respondeat effectus, eadem argumentatione utitur à sceleribus ducta, & ita concludit: *Ergo sicut ad pænam sufficit meditari puniendam, sic & ad laudem satis est conari prædicanda.*

49 Queis addo, non solum rectum consilium, etiam effectu vacuum, laudari debere; verum & erroneum excusandum, & exculpandum, si modò quis bona mente, & ex animi sui sententia, citra ullum dolum, vel fraudem in eo proferendo se habeat. Nam cum in omnibus, cuiusvis hominis sit errare, adeò ut Petronius (t) meritò dixerit: *Nemo nostrum non peccat, homines sumus non dii.* Hoc maximè inferendis rebus in arduis consiliis, sæpè contingit, quòd Clemens Alexandrinus (u) ad ignorationem similitudinis, & dissimilitudinis referre videtur. Eaque propter Mecænas Augusto (x) consuluit: *Mentem Senatorum, qui ei aderant, considerare oportere, non autem aberrationem castigare.* Et Darius apud Q. Curtium (y), cum à suis rogaretur, ut quosdam Græcos milites, qui sibi minus sanum, (ut eis videbatur) consilium dederant, circumdatos exercitu toto, telis obrueret, ita respondit: *Neminem stolidum consilium ca-*

LI

(b) Tacit. 4. Annal.
 (c) Heliodot. in histor. Ætiop. pag. mihi 402.
 (d) Plin. Junior. lib. 5. epist. ult.
 (e) Eurip.
 (f) Pind. olymp. 5.
 (g) Cic. pro Rabirio.
 (h) Sidon. lib. 4. epist. 6.
 (i) Dom. Joann. Palafox. in Relat. succes. anno 1638.
 (k) Herodot. lib. 7. quem vide.
 (l) Senec. lib. de benef.
 (m) Canonhet. in Aphorism. politic. tom. 1. pagin.
 (n) Quintil. lib. 2. inst. cap. 17.
 (o) Cic. Philip. 11.
 (p) Senec. Pater. declam. 6. lib. 4.
 (q) Cujac. 15. obser. cap. 25.
 (r) Brant. de Senat. lib. 1. cap. 24.
 (s) Apulej. 4. Florind. ad finem.
 (t) Petron. in satyr.
 (u) Clem. Alex. lib. 6. Strom. cap.
 (x) Plut. & alii in vita Mecænat. Gaspar. Ensl. in Nucl. pag.
 (y) Curt. lib. 13. cap. 15.

pite luere debere, defuturos, qui suaderent, si suasisse periculum esset. Denique, ipsos quotidie ad se vocaturi in consilium, variasque sententias dicere: nec tamen melioris Fidei haberi, qui prudentius suaserit, &c.

50 Et in idem tendit Papinianus (z) noster dum docuit: Fraudis interpretationem semper in jure civili, non ex eventu dumtaxat, sed ex consilio quoque desiderari. Quod perinde est ac si diceret, non eventum, sed intentum in consiliis fraudi esse, & qui absque fraudi animo errorem consulit, ex hoc capite damnandum non esse.

51 Maximè cum in Bellicis, Politicisque negotiis, de quibus sermonem habemus, Cominatio (a), satis experto teste, docente: Certo constet, nullum esse Principem tam prudentem, qui non erret, & labatur aliquando, imò sæpè numero, si longior ei vita contingat, ut ex illorum actionibus, ac Consiliis, si verè perscriberentur omnia facile judicari posset, omnes profectò omnium temporum Senatores, ac viros præstantes, qui vel fuerunt aliquando, vel bodie sunt, errarunt, & sæpè errare possunt, atque labi.

52 Ex quibus præceptis Scriptores Politici illud aliud Monitum colligunt, quod Arcanum dogma vocat Lipsius (b), à Radero laudatus, nempe Ut Principes sine discrimine audiant, & nec bona quidem consilia præmissis adficiant, ne quis, spe adipiscendi, à verò defleat, & præter animi mentem, & ad gratiam loquatur. Nec mala suppliciiis, ne desint, qui suadens, si malè suasisse periculum sit; quod qualiter accipi debeat, alio (c) in loco dicemus.

53 Prædictis etiam adjicio, cautum & prudentem Principem, non ex Consuletium numero, & dignitate, consilia æstimare debere, sed ex rationibus, quibus illa nituntur. Nam ubi numerantur non ponderantur sententiæ, sæpè, ut docet Cicero, accidit, quòd melior pars à majori vincatur, & ut vetus Proverbium (d) monet: Sæpè est etiam olitor, vel stultus, (ut Erasmus (e) legendum contendit) valde opportuna loquutus, & sub sordido pallio sapientia, summaque ingenia in oculo jaceant.

54 Quòd etiam respicit illud Justiniani (f) Imperatoris: Sed neque ex multitudine auctorum, quid melius & æquius est judicatore: cum possit unius forsam & deterioris sententia, & multos, & majores aliqua in parte superare.

55 Et Apologus de Noctua à Dione Chrysostomo (g) Æsopo tributus; & quod Agellus (h) ex Æschine, & Plutarchus (i), & Cragius (k) apud Spartanos contigisse commemorant, proba sententia, ab improbo cive prolata, per probum alium repeti jussa.

56 Adde, & finio, non minùs curare prudentem Principem oportere, quod ubi negotia Regni sui gubernationem, atque administrationem tangentia, per distinctas Senatuum, ac Senatorum classes aulasvè distribuit (ut in nostra Hispania prudentissimè, & providentissimè factum esse retulimus) unicuique Senatui, vel Tribunali causas, quæ ad illud spectant, relinquat, atque remittat. Ita ut singuli Ministri suis officiis consueto tempore, & modo fungantur, nec nisi raro, & ex magna causa, alii aliorum actionibus misceantur, & privatis sessionibus, quas funtas dicunt, negotia, quæ proprios habent Judices, terminentur, hoc enim sæpè plus damni, quàm utilitatis afferre solet, cum propter conveniendi difficultatem, negotiorum expeditionem retardet, & sæpè, ne dicam semper, eorum intelligentiam turbet, propter adlectos adjectosvè, qui ea tamquam novi destituntur, & veluti in alium orbem se putant esse perlatos.

57 Unde Alexander III. Pont. Max. (l) Episcopos reprehendit, qui suæ Ecclesiæ membris, sive Canonicis omissis, aliorum consilio in ejus negotiis utuntur: Cum id non sit dubium, & honestati, & sanctorum Patrum institutionibus contraire. Et Imperatores Honorius & Theodosius publicam auctoritatem vacillare dicunt, si Curiales, Susceptores, vel Arcarii, humilioribus, aut extraordinariis oneribus occupentur.

58 Quibus in locis, & in aliis, alia à Doctoribus (n) subnotantur, expressè docentibus, & dolentibus: Injuria affici judices, quando despectantibus ad eorum officium, alii consuluntur, & quòd per has extraordinarias sessiones, seu delegationes, tristitia maxima afficiuntur populi, Tribunalia exauctorantur, omniaque tandem confunduntur, & subvertuntur, & in grave Reipublice de-

(z) Papinian. in leg. fraudis 79. D. de regulis juris.

(a) Comin. lib. 8. pag. 563.

(b) Lips. & alii apud Rader. ad Curtium ubi supra pag. 66.

(c) Infrà Emb. 53.

(d) Agel. 2. not. Att. cap. 6.

(e) Erasm. in Adag. pag. 274.

(f) Justin. in leg. 2. vers. Sed neque, C. de veteri.

(g) Dio Chrysos. orat. 72.

(h) Agel. lib. 18. cap. 3.

(i) Plut. in præcep. polit.

(k) Nicol. Cragius de Repub. Laced. lib. 3. instit. 6. pag. 203.

(l) Alevand. III. in cap. novit, de iis, que sunt à Prelat.

(m) L. humilioribus, C. de suscep. & arcan. lib. 10.

(n) Luc. de Pen. in d. l. humilioribus, & in l. omnes, C. de decurion. post. num. 40. Paleot. Ponte, Mastrill. & alii apud Me 2. tom. lib. 4. cap. 10. ex num. 51. ad 54. & in politic. Ind. lib. 5. cap. 13. pagin. 881.


detrimentum expeditiones causarum in immensum protrahi solent.

59 Indeque pius, & prudens satis, Politicus noster Joannes à Sancta-Maria (o), quem alii Recentiores (p) sequuntur, sentiens damnum, quod apud nos ex ejusmodi coadunationibus oriebatur, & quotidie magis increbescerat, in eas invehitur, & tandem concludit: Escusen los Reyes de todas maneras las juntas, que se han introducido para cada negocio.

60 Quæ quidem damna, cum in Regno Neapolitano experiri cæpta fuissent, Regia scheda, Mastrillo (q) referente, anno 1608. ad Comitem Benaventanum, ea tempestate Proregem, directâ fuit, jubens, ut in posterum ab his extraordinariis causarum expeditionibus abstineret; quas etiam nunc demum Gloriosus & Prudens Rex, ac D. Noster Philippus IV. ex eisdem rationibus aboleri, & exulare decrevit.

61 Prout & pariter, cum hisce nostris temporibus ex Decreto Regio observari cæpisset, ut in rebus arduis, & gravibus, illisque præsertim, quæ ad consultationes Candidatorum Ecclesiasticarum seculariumvè dignitatum, aut aliorum officiorum pertinerent, per schedulas secretas, propria exaratas manu, sigilloque obsignatas, unusquisque ex Consultantibus suffragium suum ad Principem mitteret: ea fortè ratione, quòd existimatum fuerit, majorem per hunc modum in suffragando libertatem inesse, quoniam ubi voce proponebantur, contingere sæpè solebat, ut alii aliorum respectu, mutisque inter se pactionibus aut postulationibus ducerentur, & jurgiis, atque discordiis occasio præstaretur, prout in simili ex simili quoque ratione, Romæ olim cautum fuisse comperimus lege Gabinia, hinc Tabellaria dictâ, quòd de suffragiis in electione Magistratum per tabellas ferendis, edita fuisset, de qua Cicero (r), & alii mentionem fecerunt, quam suo tempore renovatam memorat Plinius Junior (s).

62 Postea tamen, hoc quoque abolitum fuit, & mos antiquus servari jussus, publicè nimirum hac in re suffragandi, & nomen, ac merita ejus, quem quisque dignum censeret, ex animi sui sententia, proprio ore profendi. Quoniam experientia compertum fuit, plura per secretam illam votandi formam damna, & inconvenientia oriri cæpisse, usque aded certum est Sallustianum (u) illud: Omnia mala exempla à bonis initiis orsa, nihilque ita sanctum, quod hominum fraudare non possit audacia. Quæ ut etiam Horatius (x) ait: Sit spes fallendi, miscebit sacra profanis. Unde idem ipse Plinius Junior (y) tametsi sua ætate ad tacita suffragia, quasi ad remedium decursum esse referat: Vereri tamen (ait) ne procedente tempore, ex ipso remedio vitia nascantur: est enim periculum ne tacitis suffragiis impudentia irrepât: nam quoto cuique eadem honestatis cura secretò, que palam? Multi famam, conscientiam pauci verentur.



Li 2

(o) Joann. à Sancta Maria in Polit. Christ. cap. 13.

(p) Pedraza en su Secretario del Rey disc. 3. fol. 25.

(q) Mastrill. de Magistrat. lib. 5. cap. 6. numer. 161.

(r) Cic. 3. de legib.

(s) Anton. August & alii ad leges P. D. Gabiniæ tabellariae & Gruchius de Comitibus Roman. num. con.

(t) Plin. Jun. lib. 3. epist. 20.

(u) Sallust. in Catilin.

(x) Horat. epist. 16. lib. 1.

(y) Plin. Jun. d. epist. 20.